

UC-NRLF
$B 284 584


LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF
CALIFORNIA



Progr. Gymn. Erlangen

Sollemnia anniversaria

in

Gymnasio Regio Erlangensi

a. d. VIII. Id. Sext. MDCCCLXXVIII

rite celebranda

Erlangen: Gymnasium

indicit

Josephus Schmidt,
scholae Latinae praeceptor.

Inest
Commentatio de nominum verbalium in tor et trix
desinentium
apud Tertullianum copia ac vi.

Erlangae,
Typis Junge et Filii.
1878.



Cum primum abhinc octo annos ad Tertulliani presbyteri libros permultos perlegendos accessi, omnes cogitationes defixi cum in argumento eorum copiosissimo tum in dicendi genere Tert. cognoscendo, quod praeter aequalium morem esse insigne et ad vim et ad copiam verborum brevi intellexi. Utramque autem in brevi ponere conspectu fuit mihi in animo, cum eodem anno (1870) juvenili quodam ardore raptus neque tum satis hoc Latinarum litterarum genere imbutus munus suscepi disputatiuncula quadam conscripta sollemnia Gymnasii nostri anniversaria indicendi. Quod consilium ita persecutus sum, ut studiorum meorum quasi specimen primitiasque quasdam prolaturus illa una commentatione non solum copiam nominum substantivorum, quae apud Tert. leguntur, perlustrarem et in ordinem quendam redigerem, sed etiam multorum eorum vim tum novam tum ceteris scriptoribus inusitatam ex parte quidem illustrarem. Sed subtilius insequenti tempore in evolvendis his libris versatus brevi ipse intellexi in illa commentatione et propter temporis mihi concessi exiguitatem et ob amplitudinem molemque materiae parum mihi meditata non nihil me tantummodo perstrinxisse leviterque attigisse, atque aliis prius perspexi non pauca in eadem esse non solum manca sed quaedam etiam mendosa. Quapropter minime ipse dubitavi, quin futurum esset, ut haec lucubratio mea et ea

ut ita dicam subsiciva, cum in existimantium arbitrium venisset, improbaretur, sed hoc indignor, quod hoc nunc demum idque nuperrime octavo anno post illam ipsam editam ab existimatore quodam docto in actis quibusdam philologis aequo quidem multo serius factum est, posteaquam dudum quid secus in illa commentatione ceciderit ipse perspectum habeo, quasi ingenio in aliquod studium intento sit subsistendum in una eademque exponendi ratione nec copia sit ei data tempore et perpoliendi eam et corrigendi.

Sed τρεῖν μ'οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθήνη.

Non enim substiti in illa ratione quam initio inieram, sed cum assiduitate et industria nocturna diurnaque manu Tertullianum versare perrexi. Quo intentius autem his litteris operam dedi, eo magis intellexi copiosam quam inde collegissem materiam circumcidendam esse et in singulas minores et ob id ipsum emendatiores partes coartandam. Harum primam, quoad eius facere possum, iam prolaturus sum, postquam pauca praedixi de oratione Tertulliani universa.

Christianae doctrinae vi novum quendam ab integro saeclorum natum esse ordinem non solum in moribus institutisque Romanorum sed etiam in litteris eorum et solutae et numeris vinctae orationis negari nequaquam potest. Quae cum post brevem viriditatem marcescerent et, ut ita dicam, velut in opaco situm quendam ducerent ex argenteae quam vocant latinitatis vitiis, eorum qui Christianam doctrinam amplexi erant quidam docti novam quandam et adventiciam Latine scribendi rationem ingressi sunt, quae, cum externis atque importatis maxime adminiculis progrederetur, a genuina ac quasi domestica antiquae orationis Latinae virtute quam maxime recessit et pro origine sua ut dicam transmarina valetudinem illius iam non integram labefactavit et infirmavit. Universitatem enim generis humani cum amplexura esset disciplina Christiana, ne in litteris quidem angustis translaticiae et quasi publicae latinitatis finibus se circumscribi passa est, sed altius evolans orationis instrumenta aut immutata aut extrinsecus alicunde petita non modo non respuit sed facile libenterque admisit. Hunc orationis Latinae novum habitum incognitumque antea colorem aliqua quidem ex parte perscrutari haud pigebit homines litteratos maximeque philologos secum reputantes, quam multa inde et eruditionis nostrae adiumenta et linguarum illarum quae a Romana lingua originem duxerunt incrementa et latinitatis quae dicitur ecclesiasticae profecta sint subsidia. Etiam iis, qui theologicae disciplinae operam dant, ex usu fore speramus, quaestio si instituitur, quanta adiumenta ecclesiastica oratio Latina inde ceperit voces aut iam exstantes in suum novum usum assumendo aut novas conformando. Qua in quaestione tantum abest, ut ad

desertarum regionum sterilitatem devio itinere avocentur primarum Christianarum litterarum studiosi, ut laetisime florentium amoenitas iis occurrat, cum singulari fortunae beneficio contigerit, ut non nascentium ac minutarum litterarum sed adultarum quasi et perfectarum speciem prae se ferant huius latinitatis ipsa initia, id quod Minucii Felicis scriptura docet atque Quinti Septimii Florentis Tertulliani libri, quos Christianarum litterarum Latinarum duces et esse et haberi constat.

Perscrutanti autem primordia Latinarum litterarum eccl. divinitus quodammodo id factum mihi videtur esse, quod in ipso harum introitu causidici duo constituti sunt illi, quos modo diximus, qui, quo diverso erant ingenio imbuti, diversam inierunt rationem causae Christianae agendae et apologeticis libris defendendae, alter, Minucius, dictionis placido aequabilique flumine eodemque emendatiore et elegantiore, alter, Tertullianus, dicendi genere concitatissimo et ex ingenii sui luxurie nimium exaggerato atque a vetere latinitate quam maxime remoto, ille in scribendo auctoritatem Romanorum philosophorum, Ciceronis et Senecae, secutus, hic Justino, Irenaeo, aliis peregrinis (cf. Adv. Valentin. 5) ducibus usus. Sed in hac studiorum diversitate in hoc quidem inter se congruunt, quod campus, unde excucurrit utriusque dicendi virtus, „divinarum humanarumque rerum notitia, iusti atque iniusti scientia“, iuris prudentia (cf. Dig. 1, 1, 10) fuit, unde profecti ecclesiasticarum litterarum Latinarum parentes facti sunt ac conditores.

Ex horum utriusque apologeticis libris uter aetate antecederet, iam apud ecclesiae Patres, Hieronymum (Minucii librum postponentem in libro quem scripsit „de viris illustr.“) et Lactantium (praeponentem illum in „Instit.“) in controversia fuit, quae iam dirempta mihi videtur esse A. Eberti opera, sodalis societatis litterarum Saxonicae, qui illo libello egregio, quem de necessitudine Minucio cum Tertulliano intercedenti conscripsit (Lips. 1868), Minucii libro „prioratum“ adiudicavit dilucide probans Tertull. in Apologetico suo illum esse secutum.

Etsi igitur Minucius praeter dialogi sui ut ita dicam „prioratum“ propter dispositionis diligentiam et incorrupti sermonis integritatem ad optimae latinitatis dicendi consuetudinem prope accedentem principatum quendam obtinet, tamen palmam deferre

ad Tertull. nihil dubito, quaestio si proponitur, uter maioris fuerit momenti ad ecclesiae Romanae litteras condendas et Latinam linguam novae doctrinae Christianae accommodandam. Accedit, quod Minucii non exstat nisi unus ille apologeticus liber unum litterarum genus unamque Christianae disciplinae necessitatem egregie quidem amplectens, Tertulliani eruditio multiplex excurrit in latissimum defendendi, aggrediendi, cohortandi, redarguendi campum. Nam ethnicorum criminationes retundere, somnia haereticorum discutere, quid? quod ipsius orthodoxae ecclesiae sectatorum, quos vocat psychicos, languores excutere „invidia et contumeliis clericorum Romanae ecclesiae ad haeresim (Montani) delapsus“ (Hieron. Catal. 53) sibi proposuerat.

Tela autem et arma, quibus Tert. usus est in defendenda sua et impugnanda adversariorum causa, spiritalia erant, quippe qui „*bellum spiritale spiritalibus armis spiritaliter debellaturus esset.*“ Armamentarium autem, unde tela sua ignita deprompsit, scrinium quasi Latinae linguae fuit eiusque non genuinae sed Afris, popularibus suis, usitatae, quae ex cottidiano sive rustico sive plebeio sermone Latino profecta in Africa quidem maturius et plenius quam alicubi etiam in scribentium usum recepta fuerat. Haec ex variis et priscae et recentioris latinitatis et aliunde petitis elementis collata lingua iam accommodanda fuit et explicandae et defendendae novae in Romanum imperium ingressae fidei et disciplinae Christianae. Quae cum prorsus novas quasdam notiones, religionis decreta, sacros ritus, instituta moresque in lucem proferrent, novas quasdam harum rerum appellationes requisiverunt. Accessit autem certaminis necessitas cum ethnicorum doctissimis viris ineundi de reconditissimis quibusque penitusque abstrusis et novae doctrinae et universae theologiae locis quaestionibusque dialecticae ope tractandis. Cui muneri explendo vix par esse Latina lingua visa est vocabulorum imprimis abstractorum quae dicuntur et ad exercendam dialecticam maxime necessariorum semper parum ferax. Optimae enim latinitatis scriptores novas voces et antehac incognitas fingere animos non induxerunt nisi gravati et cum fastidio quodam, unde nata est illa tanta „verborum paupertas, immo egestas“, et „angustiae Romanae“, quas Seneca (Ep. 58) conqueritur quibusque in explicandis philosophiae

praeceptis ipse laborat. Atqui omnibus temporibus Romanorum scriptores in copia verborum linguae Latinae ad fingendas novas voces per se satis aptae adaugenda desudabant neque argenteae quidem latinitatis scriptores, imprimis poëtae, abhorrebant a vocabulis aliunde praesertim e Graeca lingua petendis suaeque orationi ingerendis. Haec necessitas et novas fingendi voces et externa adsciscendi linguae adiumenta et adminicula fieri non potuit quin maxime Christianis scriptoribus Latinis exsisteret per se ipsis maximam partem ex initiis ipsis integrae et elegantioris orationis incuriosis. His facem praetulit Tertullianus ita, ut et novas voces fingere et vocum iam exstantium significationes aut mutare et amplificare aut externas atque adventicias in suum usum adhibere nihil reformidaret hac in dicendi ratione ipsius Ciceronis auctoritate usus quodammodo *). Oportebat enim etiam in oratione Latina „*novum illud vinum* (Christianae doctrinae) *novis utribus recondi et novam plagulam novo adsui vestimento*“ (cf. Tert. De Orat 1). Cui necessitati ita satisfecit Tert., ut oratio eius quamvis inquinata et novis et peregrinis verbis „auctrix et initiatrix“ prorsus novi illius dicendi generis, ecclesiastici, evaserit, eademque ad locupletandam Latinam linguam universam permultum valuerit, id quod vix quisquam infitiabitur vel mediocriter in legendis libris eius versatus. Sane quidem neminem istos legentem fugit dicendi genus Tert., praeterquam quod multum obscurum atque caliginosum crebroque ad tantam acerbitatem exaggeratum sit, ut huius libri quidam non atramento sed felle conscripti esse videantur, abalienatum non modo a pura Ciceroniani sermonis integritate sed etiam ab aequalium scriptorum proprietate farraginem quandam Latinarum et externarum vocum esse repugnantem et adversantem verae latinitatis naturae usque eo, ut omnibus temporibus propter incuriam purae et in-

*) Cic. de fin. III, 2, 5: „*Quodsi in* (*Graeca*) *lingua concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id magis nobis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere*“? ibid. III, 1, 3: „*imponenda sunt nova rebus novis nomina;* N. D. I, 17, 44: „*sunt enim rebus novis nova ponenda nomina*“.

corruptae dictionis indignationem et stomachum philologorum moverit*).

Qua autem ratione Tert. novae cuiusdam latinitatis auctor sit, hac commentatione aliqua quidem ex parte ita explicare mihi proposui, ut partem unam novorum vocabulorum a Tert. in Lat. linguam invectorum, nomina verbalia in tor et trix terminata, percenseam eorumque et copiam et vim illustrem, quorum recensione instituenda hac quidem minuta commentatione doceatur velim meruisse Tert. egregie cum de Latinae linguae copia verborum universa tum de condenda ecclesiastica oratione**).

---

*) Cf. ex gr. Ruhnkenii Praef. ad Schelleri Lexicon: „*Sit Tertullianus quam velis eruditus, sit omnis peritus antiquitatis, nihil impedio: Latinitatis certe pessimum auctorem esse aio et confirmo* . . *Fecit hic quod ante eum arbitror fecisse neminem. Etenim cum in aliorum vel summa infantia tamen appareat voluntas et conatus bene loquendi, hic nescio qua ingenii perversitate cum melioribus loqui noluit et sibimet ipsi linguam finxit duram, horridam Latinisque inauditam, ut non mirum sit per eum unum plura monstra in linguam Latinam quam per omnes scriptores semibarbaros esse invecta*".

**) Huc conferre libet librorum Tert. vel scriptorum aliorum nomina a nobis his notis allata: Mart. = liber Tert. ad martyras; Sp. = de spectaculis; Id. = de idololatria; Ap. = Apologeticum; Nat. = ad nationes libri II; T. A. = de testimonio animae; Cor. = de corona; F. P. = de fuga in persecutione; Scorp. = Scorpiace; Scap. = ad Scapulam; Or. = de oratione; Pat. = de patientia; Bapt. = de baptismo; Paen. = de paenitentia; Ux. = ad uxorem libri II; C. F. = de cultu feminarum libri II; E. C. = de exhortatione castitatis; Mon. = de monogamia; Pud. = de pudicitia; Jei. = de ieiuniis; V. V. = de virginibus velandis; Pall. = de pallio; P. H. = de praescriptione haereticorum; Mc. = adv. Marcionem libri V; Herm. = adv. Hermogenem; Val. = adv. Valentinianos; C. C. = de carne Christi; R. C. = de resurrectione carnis; An. = de anima; Prax. = adv. Praxean; Jud. = adv. Judaeos. — Nullam habuimus rationem librorum et carminum suppositiciorum Tert. — Itcf. = Interpretationis illius veterrimae scripturae sacrae Latinae, quam vocant Italam, de cuius origine etiam nunc ambigitur, codices et fragmenta; Eccl. = scriptores ecclesiastici; J. C. = iuris consulti; Hier. = Hieronymus; Ambr. = Ambrosius; Aug. = Augustinus; Intrpr. Iren. = interpres (Lat.) Irenaei; Mt. = Matthaeus; LXX = septuaginta illorum Alex. veteris testamenti interpretatio Graeca; scr. scr. = Scriptura sacra; Inscr. = Inscriptiones Lat. sc. apud Grut. vel

Qua in quaestione ad ponderandam Tert. dictionem magno momento esse puto illam Scripturae sacrae Latinam interpretationem, quae, ut est verborum tenax atque perspicua, in illius libris carptim quidem exstat. Haec Latina translatio, quae apud Tert. legitur, utrum ipsius sit an iam in Africa exstiterit et a Tert. in suum usum emendatiore nonnunquam haud scio an forma assumpta sit, parum adhuc liquet. Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est. Insignis autem ad dicendi genus eadem est et ipsa propter permultos suos soloecismos et barbarismos atque congeriem quandam priscorum, novorum, rusticorum, poëticorum vocabulorum ex Latine dicendi consuetudine eorum, qui tum Africam incolebant. Ex usu autem esse nobis visum est, secernere voces inde haustas novas et seorsum conferre ab iis, quae Tertulliani ipsius in dicendi usu sunt.

Si quis autem philologorum offendatur latinitatis Tert. inaequali ac multiformi qualitate, is secum reputet velim haec verba, quae leguntur in praefatione interpretationis Latinae Psalterii a Christianorum antistite quodam abhinc septem annos editae:

„*Dictio non redolet Nasonem sive Maronem;*
„*Ne tamen id graviter, lector amice, feras.*
„*Mythica dispersit commenta ecclesia Christi,*
„*E verbo Domini prodiit aera recens.*
„*Ipsa novis formis et significatibus usa*
„*Romanae linguae largiter auxit opes.*

Jam vero, ut est propositum nobis, fiat primum recensio vocum verbalium in tor desinentium earumque nove a Tert. confictarum *), deinde expositio notionum quarundam earum

Renier. — Nota cr. significata ea vocabula erunt, quorum lectio anceps est. Numeri sunt editionis Tert. Oehlerianae ea nondum exstante emendatiore, quam exhibere Academia litterarum Vindobonensis sibi proposuit.

*) In *novitate* autem his voc. adiudicanda auctoritates sequimur lexicographi Latini illius recentissimi eiusdemque auctoris locupletissimi de Vite, et viri illius doctissimi eiusdemque in posteriore latinitate versatissimi, *Pauckeri.*

Tert. propriarum, unde perspicuitas aliqua fiat et ambitus et significatus horum apud Tert. creberrimorum vocabulorum. Horum autem proventus cum iam ante illum in optima latinitate imprimis Ciceronis magnus fuerit, apud posteriores Lat. scriptores praesertim eccl., maxime apud Augustinum, in largissimam ubertatem effusus est, unde eorum multa in linguas illas redundasse infra docebimus, quae a Latino sermone profectae nataeque sunt. Priusquam autem hoc vocabulorum genus ipsum recensendum adeamus, haec praemonenda videntur esse.

Haec vocum verbalium in tor exeuntium recensio cum non versetur velim nisi in nove fictis a Tert. vocabulis, separationem quandam fieri voluimus eorum, quae solus ille aut semel aut saepius protulit, ab iis, quorum ipse primus auctor est, unde, quae sit proprietas Tert. dicendi generis hoc in genere, aliqua quidem ex parte eluceat. Deinde vocum aliquot memoratu digniorum notiones apud Tert. novae exponantur, unde intelligatur, quomodo Tert. et amplificaverit vocum notiones et condiderit ecclesiasticum dicendi genus Latinum.

Primum autem quaestioni a nobis institutae satisfacturi nobis videmur esse, si aliquot collatis locis breviter explanaverimus, quomodo Tert. adversus priorum scriptorum dicendi consuetudinem in usu horum verbalium voc. versatus sit. Horum largissima apud Tert. redundantia inde imprimis nata est, quod ille praemissam aliquam sententiam uno ex his verbalibus complecti solet, unde ad fictionem multarum talium vocum adductus est: cf. Mc. IV, 26, ubi dictum illud Domini praemissum: „*beati qui sermonem Dei audiunt et faciunt*" (Luc. 11, 28) constringit in hoc: „*auditores et obsecutores Dei praefert.*"; item Mc. V, 18, ubi qui ab Amos propheta appellantur „*potum dantes sanctis meis vinum*" (2, 12) ut „*sanctores inebriatores*" increpantur; vel Pud. 2, ubi Deus, qui „*mavult misericordiam quam sacrificium*" (Mc. II, 17 ex Hos. 6, 6), „*misericordiae praelator quam sacrificii*" vocatur; Mc. IV, 28 et Prax. 26, ubi ii, *qui confessuri sint vel negaturi Christum coram hominibus*" (Luc. 12, 8. 9.), *confessores* et *negatores* Christi dicuntur. Et sic saepe. Hoc modo haec verbalia proxime accedere ad participiorum vicem hi docent loci, ubi illa et haec invicem variat: Mc. IV, 36 Deus dicitur *allevator humilium et destructor*

superborum" (ex Luc. 1, 52: „*deposuit potentes de sede et exaltavit humiles*"), idemque V. V. 15 ex eodem scr. scr. loco „*extollens humiles et deprimens elatos*". Mc. IV, 11. 33 Johannes baptista ex Jes. 40, 3 („*Vox clamantis in deserto: Parate viam domini*") „*vociferator in solitudinem et praeparator viarum dominicarum*" appellatur, idemque Mc. IV, 33 et Bapt. 6 „*clamans in deserto et praeparans vias domini*" etc. Quo in usu ut ita dicam participiali eas voces etiam perfecti temporis actores alicuius rei significare dudum a viris doctis expositum est, quare pauca huius generis exempla huc afferantur et ea, quibus poëtica quadam dictione vel inanimis rebus actiones addicuntur peracti temporis: C. F. I, 3 diluvium illud Noë „*cataclysmus Noë omnium rerum abolitor*" dicitur (= qui abolevit); et Or. 1 evangelium „*expunctor* (= quod expunxit i. e. implevit et consummavit) *totius retro vetustatis*" appellatur. Non solum autem peracti sed etiam futuri temporis significationem inesse in his verbalibus voc. apud Tert. hi docent loci: Mc. V, 16 Deus „*retributor utriusque meriti*" (= qui retribuet, ex 2 Thess. 1, 6) et „*cremator*" (= qui cremabit) „*flamma ignis*" dicitur sc. eorum, „*qui ipsum ignorent et qui non obaudiant evangelio* (ib. v. 8); Mc. IV, 28 et Prax. 26 *confessor* et *negator* (Christi) dicitur „*omnis, qui confessus erit vel negaverit Christum coram hominibus, qui confessorem confitebitur* . . *et negatorem negabit*" (cf. etiam Cor. 11); et Mc. V, 7 „*damnator*" dicitur ex 1 Cor. 5, 13: „*nam eos qui foris sunt Deus damnabit*". Huius breviloquentiae ope pressas illas et concisas paucis quasi lineis descriptiones profert non solum hominum (cf. Ap. 46 „*philosophus famae negotiator, verborum et factorum operator, rerum destructor, veritatis interpolator et furator*"; Mc. I, 22 „*deus Marcionis mali permissor, iniuriae fautor, gratiae lenocinator, benignitatis praevaricator*" et bestiarum (cf. Mc. I, 1 „*comesor mus Ponticus; castor carnis castrator*"; R. C. 32 „*pisces corporum devoratores*"), sed etiam inanimarum rerum, qua verborum adiunctione poëticum quendam colorem orationi indi patet: cf. An. 43 *somnus pacator operum, redintegrator virium*; Ap. 21 *spiritus universitatis permeator*; Val. 15 *o risum illuminatorem! o fletum rigatorem!* etc. Simulque illorum usu creberrimo ponderosa Tert. orationis gravitas et sententiosa brevitas adiuvatur, quae etiam cernitur in oppositionibus sive contrapositis harum verbalium

vocum imprimis ope Tertulliano usitatis: cf. Pud. 16 *melius facere pronuntiat* (sc. Paulus, 1 Cor. 7, 38. 40) *virginis conservatorem quam erogatorem;* Mc. IV, 22 *alter* (sc. Moyses) *populi informator aliquando, alter* (sc. Elias) *reformator quandoque, alter initiator veteris testamenti, alter consummator novi;* C. C. 5 *nec mortuorum resuscitator, sed vivorum avocator* (sc. Christus) etc. Memoratu dignum hoc denique videtur esse, quod voces tales profert ab intransitivis verbis ductas easdemque cum genetivis inde pendentibus coniunctas, cf. *assentator mali* Herm. 10; *lenocinator gratiae* Mc. I, 22; *obsecutor Dei, legis* Mc. IV, 26. 9; *refragator martyriorum* Scorp. 1.

Iam autem copiam horum vocabulorum ipsam ex usu librisque Tert. congerendam atque percensendam aggrediamur, quo in recensu distinctionem quandam in congerendis iis vocabulis, quae apud Tert. aut solum aut primum leguntur, faciendam esse putavimus. Seiunximus enim ea vocabula in tor terminata, quorum novitas effecta non est nisi compositionis vi (sive quod nos dicimus „durch Weiterbildung") quorumque vocabula simplicia iam apud scriptores aureae vel argenteae latinitatis exstant, ab iis, quae prorsus nova neque antehac ulla forma cognita vel usitata fuisse inveniuntur. Itaque ea primum congeramus, quae nova Tertullianus finxit vi compositionis sive amplificationis. Horum autem initium fiat ab iis, quae Tert. solius sunt eademque ei ἅπαξ εἰρημένα.

§. 1. Invenimus autem haec (14) Tert. soli usitata eademque ἅπαξ ei εἰρημένα composita verbalia vocabula:

Adauctor (*animae Deus* = auctor, cr.) An. 2. — *adamator* (= amator) C. F. I, 2; *allevator* (*humilium Deus* = qui allevat) Mc. IV, 36; *avocator* (*vivorum,* Marcionis Christus, qui vivos avocare a vita ad mortem i. e. a recta fide ad haeresim a Tert. dicitur) C. C. 5; *circumductor* (*Horos* = *Μεταγωγεύς* i. e. Aeon quidam Valentini) Val. 10; *condesertor* (*Apellis* [haeretici] *Valentinus*) C. C. 1; *demutator* (*-es ossium*) R. C. 32; *depostulator* (*-es Christianorum* = qui ad supplicium expostulant) Ap. 35; *despectator* (*divinarum sententiarum* = contemptor) Ux. II, 8; *praeformator* (*Apellis* [haeretici] *Marcion*) P. H. 30; *praelator* (*misericordiae quam sacrificii Deus* = qui praefert s. antepo-

nit) Pud. 2; *prosector* (*maiorum Herophilus* [medicus] = qui prosecat) An. 25; *proseminator* (= qui proseminat vel procreat) Nat. II, 13; *superseminator* *) (*avenarum diabolus*) An. 16.

Haec excipiant pauca (4) composita verbalia, quae in crebriore Tert. solius usu sunt: *Circumlator* (*Dei, creatoris, Christus*) Mc. I, 19. 21; *commemorator* (*vetustatum Christus*) Mc. IV, 26; An. 15 (cr.); *detector* (*creatoris*) Mc. IV, 36; *d. conscientiae* Val. 3; *retributor* (*utriusque meriti Deus,* Dominus = qui retribuit et compensat) Mc. IV, 29; V, 16.

§ 2. His succedant ea composita, quae Tert. primi sunt (26), post eum etiam aliorum scriptorum:

Absconditor Mc. IV, 25 — Firmic. (Math.); *adorator* (= προςκυνητής Joh. 4, 23) Or. 28; Sp. 8 — Itcf.; Vulg.; *advocator* (*mendicorum creator* = παράκλητος = consolator) Mc. IV, 15 — Marius Mercator; *collocutor* (*sermo*) Prax. 5 — Aug.; *comesor* (*mus*) Mc. I, 1 — Dig., Isid.; *compossessor* (*mundi*) Id. 14 — Aug.; *concubitor* (*-es masculorum* = ἀρσενοκοῖται 1 Cor. 6, 19) Pud. 16 — Itcf., Vulg., Aug.; *definitor* (*unius baptismi*), Paulus = qui definit s. decernit) Mc. V, 10 — Innocent.; *derogator* (*creatoris* = detractor) Mc. IV, 29 — Sidon., Liberat. Diac.; *destructor* (*superborum Deus*) Mc. IV, 36; *d. rerum philosophus* Ap. 46; *d. legis Christus* Mc. IV, 35; V, 9 etc. — Hier., Aug., Cassiod.; *detestator* (*legis nuptiarum Christus*) Mc. IV, 27. 29; Iei. 2; Sp. 15 — Aug., Cassiod.; *erogator* (*virginis* = perditor virginitatis eius collocando illam nuptum) Pud. 16 — Aug., Cod.; *excultor* (*florum Deus*) Mon. 16 — Hier., Cassiod.; *exhortator* (*omnium tolerantiarum paracletus*) F. P. 14 — Cypr., Aug.; *illusor* (*legis Christus*) Mc. V, 35; *-es philosophi* Ap. 46 — Aug., Paul. Nol., Vulg.; *incantator* (= qui incantando fascinat) Id. 9 — Ambr., Aug., Isid., Vulg.; *informator* (*populi,* Moyses) Mc. IV, 22; *i. scandali* Mc. I, 2 (cr.); *primus i. litterarum* Pall. 6 = i. e. is ludimagister, qui pueros rudes litterarum formas et potestatem cognoscere et scribere

---

*) Iis vocabulis, quorum verba nativa aut non exstant nisi apud Tert. primum vel in ea quae secuta est latinitate, aut, quia omnino non exstant, supponenda sunt, signum aut * aut † appinximus.

docet) — Aug.; *oblator* (*animae suae Christus*) Mc. II, 26 — Ambr., Ennod., Fulg. Rusp.; *obsecutor* (*-es Dei*) Mc. IV, 26; *o. legis* Mc. II, 13; IV, 9 — Jul. Valer.; *persecutor* (= insecutor) *-es vestri* Pat. 6; *p. nostri* Ap. 31; *p. Christi* Mc. 4, 4; *p. dominici nominis* Sp. 30 — Capitolin.; Eccl., Vulg.; *protector* (*-es Judaismi*) Mc. V, 4 — Ap. 5, 6; Nat. II, 1 — Cypr., Spart., Lact., Amm., Oros., Cod., Vulg.; *recreator* (*corporum somnus*) An. 43 — Eumen., Aug., Inscr., *remunerator* (*Deus*) Ap. 36; Paen. 2; Mc. IV, 29. 30 — Itcf., Vulg., Ambr., Aug., Cassiod., Inscr.; *repromissor*, cr., (*mercedis* = qui rite promittit) P. H. 20 — Ambr., Vulg.; *retractator*, cr. (*officii* = qui detrectat et recusat) Jei. 15 — Isid.; *seductor* (*-es [mundi] spiritus* = qui seducunt et decipiunt = *πνεύματα πλάνα* 1 Tim. 4, 1) Jei. 2 — Itcf., Vulg., Aug.

§ 3. Subsequantur ea huius terminationis vocabula, quae *ἅπαξ εἰρημένα* Tert. solus protulit (22):

Afflator (*universitatis Spiritus S.*) Herm. 32; *afflictator* (*-es nostri* = qui nos affligunt) Mc. V, 16; *cremator* (*Deus*) Mc. V, 16; *dedecorator* (*deorum poëta*) Ap. 14; *deditor* (*sc. domini*, Pilatus) Or. 13; *depalator** (*disciplinae divinae*, Paulus = qui velut palis defixis terminos eius designavit) Mc. V, 6; *depretiator** (*operum creatoris*, = qui detrahendo imminuit et minoris pretii facit) Mc. IV, 29; *determinator* (*disciplinae Spiritus S.*) Pud. 11; *dubitator* (*-es resurrectionis*) P. H. 33; *limator* (*humanarum macularum Christus* = purgator) Mc. IV, 35; *enodator*, cr. (*primus vocis* = qui enodat et explicat, sc. is ludimagister, qui pueros docet rudes recte pronuntiare litteras) Pall. 6; *expunctor* (*totius retro vetustatis*, evangelium = quod illam persolvit et adimplevit) Or. 1; *furator* (*veritatis philosophus*) Ap. 46; *inebriator* (*-es sanctorum* = qui inebriant) Mc. V, 18; *integrator* (*veritatis Christianus* = restitutor) Ap, 46; *lenocinator* (*gratiae*, sc. Marcionis deus, qui lenocinando eam captat et conciliat) Mc. I, 22; *minator* (cr., *animalium* = qui minat i. e. agit pecora) Nat. II, 3; *permeator* (*universitatis spiritus*) Ap. 21; *potentator*† (*solus Deus* = *δυνάστης* 1 Tim. 6, 15; Vulg.: *potens*) R. C. 23; *praeclusor* (*-es legis* = qui praecludunt non admittentes quemquam ad legis intellectum)

Mc. IV, 27, *repraesentator* (*Patris Filius*) Prax. 24; *vociferator* (*in solitudinem,* Johannes) Mc. IV, 11.

§ 4. Crebriore autem in usu Tert. solius haec (10) nova sunt:

Argumentator (= qui argumentis utitur) C. C. 24; An. 38; *comminator* (*ignium Deus*) Scorp. 9; *c. mortis* Mc. II, 9; *dedicator* (= initiator, auctor): Ap. 5 *d. damnationis nostrae,* Nero; C. C. 17 *d. novae nativitatis,* Christus; Mc. IV, 5; *dispector* (= probator, examinator), An. 15 *d. cordis Deus;* T. A. 2 *d. Deus*; Ap. 45; Ux. II, 8; *exorbitator* * (= transgressor), Mc. III, 6 *e. Judaismi;* ib. II, 13; *factitator* (= factor), Prax. 18 *idolorum;* Ap. 21. 46; Val. 21; *interpolator* (= corruptor) Ap. 46 *i. veritatis philosophus;* T. A. 3 *i. totius saeculi satanas;* C. F. I, 8 *i. naturae diabolus; permissor* (*mali,* Marcionis deus) Mc. I, 22; Herm. 9 *p. mali Deus; prostitutor* (*lenones et p.*) C. F. II, 9; Pud. 10 *p. Christiani sacramenti; salutificator* † (= salvator = σωτήρ ap. LXX et in nov. test. = *salutaris* in Vulg.) Jei. 6 *s. Dominus* (Deut. 32, 15); Mc. II, 19 *s. Deus* (Ps. 23, 5); Mc. V, 15 *s. noster* (1 Thess. 5, 23) — C. C. 14; R. C. 47; Pud. 2.

§ 5. Concludatur hic recensus iis vocabulis huius terminationis (74), quae apud Tert. primum leguntur et in posteriorum quoque usu sunt. Praeponere libet ea, quae in locis ex scr. scr. Latine ab eo allatis leguntur:

Fornicator * (= πόρνος in novo test.) Pud. 16 (= 1 Cor. 6, 9); ib. 17 (= Eph. 5, 5); ib. 18 (= 1 Cor. 5, 9. 10. 11), ib. 19 (= Apoc. 21, 8); ib. 13 (= 1 Cor. 5, 9) — Itcf., Hier., Vulg.; *miserator* (Deus = οἰκτίρμων Joël 2, 13) Pud. 2; Mc. V, 11 — Juvenc., Hier., Aug., Venant., Vulg.; *peccator* (= ἄνομος, ἁμαρτωλός, ἀσεβής in scr. scr.) R. C. 9; Pud. 2. 7. 9. 10. 18. 22; *p. omnium notarum* (se ipsum dicit) Paen. 12; Sp. 3 etc. — Eccl.; Vulg.; *transfigurator* (*-es sui,* pseudapostoli = μετασχηματιζόμενοι 2 Cor. 11, 13; Vulg.: *transfigurantes se* [*in apostolos Christi*]) Mc. V, 12 — Intpr. Iren.; *vorator* (= φάγος Mt. 11, 19; Vulg.: *vorax*) Jei. 2. 8; Mon. 8 — Nat. II, 12 *Saturnus suorum v.* — Hier., Paul. Nol.; Ennod.

Ex ipsius autem primi usu haec sunt: *Abnegator* (cr. = negator) F. P. 12 — [Hilar.] intpr. anonymi comm. in Job.;

abolitor (*omnium rerum cataclysmus*) C. F. I, 3 — Auson.; *acceptator* (*bonorum Deus* = qui eos ut sibi gratos accipit) Paen. 2; Jei. 11 — Lucif. Caralit.; *adulterator* (= qui adulterat et corrumpit aliquid) C. C. 19 — Cod., Dig.; *animator* (= qui animam dat) An. 48 *spiritus omnium animarum a.;* Herm. 32 *spiritus universitatis a.;* — Prud., Mart. Cap.; *annunciator* (*descensus Christi*) Mc. IV, 7; — Aug., Vulg.; *aspernator* (*divitum Deus*) Mc. IV, 15 — Ambr.; *communicator* (apud Tert. prim. = particeps ecclesiasticae communionis) Pud. 22 — Itcf., Arnob., Aug., Liberat. Diac., Vulg.; *concussor* (= qui alterum iniuste terret pecuniae extorquendae causa) F. P. 12. 13 — Ennod.; *confessor* (= qui profitetur se cultorem Dei unius et Christi vel in tormentis) Cor. 2. 11; Prax. 26 — Lact., Hier., Sidon., Prud.; *consecrator* (*ecclesiae*) Pud. 21 — Hier., Firmic. (Math.); *conspector* (*cordis deus*) Or. 17 et C. F. II, 13; Nat. II, 7 *c. omnium Deus* — Vulg.; *consummator* (*novi testamenti*, Elias = perfector) Mc. IV, 22 — Itcf., Cypr., Vulg.; *contaminator* (*paterni tori*) Pud. 13; Ap. 11 *c. puerorum* — Lamprid.; *cooperator** cr. (*immundis spiritibus*) Id. 1 — Itcf., Ambr., Hier., Paul. Nol., Vulg.; *damnator* (*Deus*) Mc. V, 17; Nat. I, 3. 7 — Firmic. (Math.), Sedul.; *despector* (= contemptor) Mc. II, 23 *d. prophetae Samuelis,* Saul; C. F. II, 10 *Deus d. institutorum suorum* — Xystus pap.; *devorator* (*-es corporum pisces*) R. C. 31 — Itcf., Vulg.; *dimissor* (*peccatorum Christus* = qui dimittit et veniam dat) Mc. IV, 10 — Aug.; *discussor* (*-es scelerum* = examinatores) Nat. I, 3 — Symm.; Macrob., Ennod., Cassiod.; *dispunctor* (*meritorum creator* = examinator, iudex) Mc. IV, 17 — Inscr.; *ducator* † (*civitatis* = dux) Jud. 13 — Intpr. Iren., Dar. Phryg.; *eruditor* (*monstrum* sc. Achillis, i. e. Chiron Centaurus) Pall. 4 — Itcf., Hier., Vulg.; *examinator* An. 2 — *es animae*; Ap. 9 *e. Christianorum;* — Intpr. Iren., Aug., Cassiod.; *expiator* (*impuritatis omnis,* apostolus = qui expiat et purgat) Pud. 15 — Aug.; *expressor* (*veritatis Christianus*) Ap. 46 — Avien., Aug.; *illuminator* (= qui lucem affert) Ap. 21 *i. generis humani,* Christus; Mc. IV, 2; ib. 17 *i. religionis Christus;* Cor. 7 — Lact., Aug., Vulg.; *incubator* (*-es fani* = qui cubant in fano) An. 19 — Macrob., Cod.; *inculcator* (*diaboli homo*

= qui pedibus culcat = contemptor) Scorp. 6 — Cassiod.; *indultor* (*legis* = qui indulget) Mc. IV, 9 — Chrysolog., Laurent. Novar.; *initiator* (= auctor) Mc. IV, 22 *i. veteris test. Moyses;* ib. 14 *i. novi test.*, Christus — Intpr. Iren., Novatian., Ambr., Aug.; *inquietator* (*animarum auriga* = qui inquietat) Sp. 23 — Cod.; *insinuator* (*-es deorum* = qui suggerunt et introducunt) Nat. II, 1 — Arnob., Salvian.; *institutor* (= informator) Mc. V, 5 *i. universitatis dominus;* Mon. 2. 4 *i. novae disciplinae*, paracletus; T. A. 5; Sp. 2 *i. hominis* = creator; Pat. 11 — Lamprid., Trebell., Amm.; *interdictor* Jei. 15 *-es victus;* P. H. 33 *i. nuptiarum;* Mc. II, 9 *i. delicti Deus;* — Fulg.; *interpretator* (= interpres) Mon. 6 *i. utriusque testamenti apostolus;* Prax. 19 — Salvian.; *manumissor* (*Christus noster*) Mc. V, 4 — Cod., Dig.; *medicator* (*Christus* = medicus) Mc. III, 17 — Avien.; *motator* (= motor) An. 12 *m. universitatis animus;* ib. 21; Nat. II, 3 — Arnob.; *negator* (*-es resurrectionis*) P. H. 33; R. C. 39; Cor. 11; Prax. 26 — Prud., Sidon.; *nunciator* Nat. I, 7; C. C. 7 (cr.) — Arnob., Dig.; *oblitterator* (*vetustatum, Christus* = qui memoriam earum aufert) Mc. IV, 26 — Paul. Nol.; *operator* Ap. 46 *o. verborum et factorum philosophus;* ib. 23; Herm. 20 *o. operae;* Mc. V, 17 *o. incredulitatis Satanas;* ib. III, 8; E. C. 3 — Firmic. (Math.), Paul. Nol., Sedul., Vulg.; *ostensor* (*novae frugis,* Lucullus) Ap. 11 — Intpr. Iren., Isid; *plagiator** (= plagiarius) Mc. I, 23 — Hier., Isid.; *pollicitator* (*Deus idoneus*) Id. 1 — Aug., Inscr.; *praecessor* (*-um auctoritates*) Prax. 1 — Itcf., Hier., Vulg.; *praeparator* (*viarum dominicarum Johannes*) Mc. IV, 11. 33 — Nicetas; *praesumptor* (apud. Tert. primum = qui fidenter aut nimis audacter sibi promittit) T. A. 4 (*-es resurrectionis Christiani*); Paen. 6—Amm., Aug., Paul. Nol., Cassiod.; *profusor* (*bonitatis Deus* = prodigus) Mc. I, 24 — Aug.; *redintegrator* (= integrator) An. 43 (*r. virium somnus*); R. C. 57 (*r. carnis,* Christus) — Inscr.; *remediator* (= qui remedium affert) Mc. IV, 8. 35 (*Christus r. valetudinum, languorum*) — Decret. episcop. in Concil. Turon. II; *renunciator* An. 37 (*r. dispositionis infernae*); Pall. 4 (*habitus erroris r.*) — Dig.; *repudiator* (*creatoris,* Marcionites) Mc. I, 14 — Aug.; *resuscitator* (= qui vitae restituit) R. C. 57 *r. carnis,*

Christus; ib. 12 *r. carnis Deus;* C. C. 5 *r.* (cr.) *mortuorum Christus;* Pat. 15; Mc. III, 8 — Aug., Chrysolog.; *revelator* (= qui revelat s. aperit) Mc. IV, 25 — Aug.; *rigator (fletus)* Val. 15 — Dracont.; *sacrificator* Sp. 8 — Cassiod.; *salvator** (= qui salvum reddit) Mc. III, 18 *s. taurus*, sc. ille placatorius Judaeorum; ib. IV, 14; Jud. 10 — Itcf., Eccl., Cod., Vulg.; *sanctificator** (*fidei Spiritus S.*) Prax. 2 — Hier., Aug., Vulg.; *separator* (*novi et veteris testamenti,* Marcion) P. H. 30 — Hier., Aug., Vulg.; *sepultor* Mc. IV, 43 (*s. Domini*); An. 45 *s. civilium turbinum,* Augustus, translate = pacator; — Heges., Aug., Vulg.; *solutor* (ap. Tert. = qui pecuniam dissolvit) Mc. IV, 17 — Aug.; *suscitator* (*corporum mortalium Deus*) Prax. 28 — Aug., Sidon.; *transgressor* Pud. 8 (*legis*)*;* R. C. 39; Mc. V, 13 — Arnob., Hier., Aug., Alcim., Vulg.; *vivificator** R. C. 37 et Mc. II, 9 (*v. spiritus*)*;* R. C. 31 *v. sermo* — Aug.

His annumeranda sunt haec Graecanica vocabula a Tert. primo prolata: *baptizator** (= *βαπτιστής*, sc. Johannes Mt. 11, 11) Bapt. 12 et An. 50 — Aug.; *evangelizator** (= praedicator s. praeco praesertim evangelii) Mc. V, 5 (*e. gratiae Dei*)*;* Cor. 9 et P. H. 4 (*-es adulteri*); Mc. IV, 4; V, 7. 19; Prax. 21. 23 (*Johannes e.*) — Hier.; *plasmator** (*hominis, generis humani Deus* = formator) Jud. 2 — Intpr. Iren., Ambr.

§ 6. Invenimus igitur subst. verbalia in tor terminata eademque a Tert. primo prolata et in summa dinumerata (nisi quid nos fugit) 150, e quibus 50 s. tertia pars (= $33^1/_3\,^0/_0$) in solius Tert., 100 autem s. duae partes (= $66^2/_3\,^0/_0$) in posteriorum quoque usu esse inveniuntur. Ex his 150 novis voc. 44 seorsum a ceteris posuimus, quorum novitas posita non est nisi in compositione s. amplificatione simplicium vocum iam ante exstantium (= 14 ἅπ. εἰρ. + 4 saepius solius Tert. + 26 posteriorum quoque propria = $29^1/_3\,^0/_0$ totius summae). 106 autem voc. huius terminationis prorsus nova congessimus eademque ne simplici quidem forma ulli ante Tert. scriptori usitata (= $70^2/_3\,^0/_0$), in quibus sunt 22 ἅπ. εἰρ., 10 in crebriore Tert. solius usu, 74 Tert. primi propria. — Ex his omnibus novis voc. tria verbis nativis, unde ducantur, prorsus carent, quare illa supponenda sunt; aliorum (13) na-

tiva verba non exstant nisi apud Tert. primum vel in ea quae secuta est latinitate. —

Hic vocum recensus haud scio an lexicographis quoque ex usu sit ad lexica complenda.

Hic vocabulorum huius generis uberrimus in Tert. latinitate proventus quam largiter redundaverit in verborum copiam augendam earum recentiorum linguarum, quae a Latina lingua originem duxerunt, hac minuta doceatur collatione vocabulorum ex Italica et Gallica lingua haustorum. In Italicam quidem linguam haec vocabula ex Tert. primi fictione mutatis videlicet formis transiisse apparet: *Accettatore* (= acceptator), *adoratore*, *animatore*, *annunziatore*, *argomentatore*, *battezzatore* (= baptizator), *castratore*, *consacratore*, *contaminatore*, *cooperatore*, *dedicatore*, *distruttore* (= *destructor*), *divoratore*, *erogatore*, *esaminatore* (= examinator), *esortatore* (= exhortator), *illuminatore*, *incantatore*, *peccatore*, *persecutore*, *preparatore*, *protettore* (= protector), *retributore*, *rimuneratore*, *rivelatore*, *salvatore*, *santificatore*, *scioglitore* (= solutor), *seduttore* (= seductor), *separatore*, *seppellitore* (= sepultor), *soprasseminatore* (= supraseminator), *trasgressore* (= transgressor).

In Gallicam autem haec: *Adorateur*, *confesseur*, *consécrateur*, *coopérateur*, *dédicateur*, *définiteur*, *destructeur*, *examinateur*, *fornicateur*, *instituteur*, *opérateur*, *pécheur* (= peccator), *persécuteur*, *protecteur*, *rémunerateur*, *Sauver* (= Salvator), *séducteur*.

§ 7. Hac igitur vocum novarum recensione lexicologa peracta iam transeamus ad ea huius generis vocabula congerenda, quorum significationes naturales et principales apud Tert. aut solum aut primum mutatae et novatae leguntur*). His praeponere libet tales hominum appellationes, quae, cum Christianae doctrinae propriae sint, antea prorsus incognitae Tertulliani primi in usu sunt, et ad Christianorum vel

*) Et in congerendis et in explicandis his vocabulis bono mihi usui fuerunt illi libri summopere laudandi ab H. Rönsch conscripti (Itala et Vulgata; Nov. test. Tert.) atque editio Oehleriana Tert.

fidem vel instituta spectant. Deinde ea subsequantur voc., quae Tert., ut fuit „vir et legum et institutionum Romanarum peritissimus" (cf. Rufin. Hist. eccl. II, 2), ex forensi usu assumpsit. Tum ea persequemur, quae ille, ut fuit acerrimus Christianae causae propugnator, ex militari dictione deprompsit. Denique varii generis voces explicentur. Ex his ea prius congerere libet vocabula mobilia, quae iam pridem exstantia Tert. in ecclesiastici dicendi generis novi usum novis notionibus instruxisse primus invenitur.

Redemptoris vocis principalis vis duplicitur immutata legitur apud Tert. Aut enim *r.* apud eum idem valet atque *emptor*, cf. An. 34: *Simon Samarites in Actis Apostolorum r. spiritus sancti;* Id. 12 *r. victimarum*, aut hac voce Lat. apud eum primum Patrum is significatur, qui aliquem a servitute vel poena pretio oblato liberat (= germ. *Erlöser*), cf. Mc. IV, 43: *nos autem putabamus ipsum esse redemptorem Israëlis* (Luc. 24, 21); ib. infra: *Christus r. Israelis;* R. C. 2 *Christus carnis r.*, unde haec Christi appellatio in ceterorum Eccl. usum abiit *). — Idem etiam *mediator* dicitur, qua voce ab Appul. primo prolata is significatur, qui se medium inter dissidentes interponit ad lites componendas. Apud Tert. (et Itcf.) primum hac voce reddita legitur Graeca illa novi test. *μεσίτου* C. C. 15 *m. Dei et hominum, homo Christus Jesus* (1 Tim. 2, 5) = Vulg.; aliis locis huic appellationi ab ipso substituta est vox frequentior sequestris R. C. 51. 63 et Prax. 27: *hic s. Dei atque hominum.* — *Orator* autem (= *precator* iam apud Plaut.) apud Tert. primum ex nativa orandi verbi vi is dicitur, qui Deum invocat ad eumque preces dirigit, cf. Mc. IV, 36 *dei oratores.* — *Creatoris* appellatio a Tert. primo ad Deum solum refertur, cf. c. *noster Deus* Mc. I, 9; V, 6. — Cui obstare creditur princeps ille malorum spirituum, Satanas, qui, cum hominum animos temptare studeat, Horatiana illa voce *temptator* appellari apud Tert. solet aut *κατ' ἐξ.* cf. Pat. 3 *temptatoris congressus solis verbis repellit;* Mc. III, 7 *diabolus post baptisma t. Christi*, aut epitheti loco, cf. Mc. IV, 26 *t. angelus;* (C. C. 7 autem *t.* vocatur legis doctor quidam Ju-

---

*) In Vulg. (vet. test.) *r.* dici solet Deus (= *λυτρωτής* = גֹּאֵל).

daeus Christum temptans). — Cuius temptatione circumventus Judas ille apostolus dominum suum prodidit tradens adversariis, unde apud Tert. saepius *traditor* (= *proditor* etiam apud. Tac.) Christi dicitur, cf. P. H. 3 *ipse t. Christi de apostolis fuit;* ib. 22 et Mc. II, 28 et III, 7 *Judas* t.; An. 14 *Judas nondum t.;* Cor. 4 autem *traditor* is dicitur, qui tradit aliquid et propagat: *salvo traditionis respectu quocumque traditore* (*cr.*) *censetur.* — Veri autem eiusdemque unius Dei quasi praecones dicuntur eius vel Christi *praedicatores* (= germ. *Prediger* = κῆρυξ in novo test.) apud Tert. (et in Vulg., cf. 1 Tim. 2, 7 et 2 Tim. 1, 11) coangustata vocis vi, quippe quorum sit, „*praedicare unicum deum esse, qui universa condiderit*" Ap. 18; cf. Scorp. 8 *dei p. atque cultor,* sc. Daniel; Prax. 30 *spiritus sanctus, unius monarchiae* (sc. Dei) *p.;* P. H. 23 *Paulus de persecutore factus p.;* Mc. III, 17 et Jud. 9 *Christus annuntiatus praedicator per Esaiam;* Mc. V, 3 *Dei et Christi p. Paulus.* — Munia quaedam Christianis in ecclesia obeunda significans aliquot vocibus alia vi dudum usitatis has novas induit notiones: *Sponsores* ab eo quod sciam solo uno loco (Bapt. 18) dicuntur ii, qui baptismi parvulorum arbitri (nostri quasi „Pathen") sunt: „*cunctatio baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse sponsores etiam periculo ingeri, qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt et proventu malae indolis falli?*" — *Lector* autem novo vocis intellectu P. H. 41 (*itaque hodie l., qui cras diaconus*) dicitur secundus inter minores ordines ecclesiasticos gradus. — Et *monitor* quidem apud Tert. solum is nominatur, qui ethnicis deos precantibus illorum numina ac potestates subiciebat verbisque praeibat quique etiam *praecentor* (ap. Appul.; germ *Vorsänger, Vorbeter*) dicebatur, cf. Ap. 30 *capite nudo denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus.* — *Auditores* denique (et saepius *audientes*) quasi tirones quidam Christianorum iidemque nondum baptizati dicuntur, cf. Paen. 6 *auditorum tirocinia,* qui Christianae religionis prima elementa docebantur.

§ 8. His ea verbalia voc. adiungantur, quae nove ficta neque prius cognita ad ecclesiasticas res pertinent quaeque Tert. aut ex scr. scr. Latine attulit aut ipse primus protulit. Ex interpretation Lat. scr. scr. allata haec legis nova: *Saluti-*

ficator (= *salutis artifex* C. C. 14 = σωτήρ ap. LXX = יֵשַׁע vel יְשׁוּעָ in vet. test.) Deus dicitur duobus locis ex vet. test. allatis (ubi in Itcf. et Vulg. *salutaris* vox legitur): Jei. 6 *et abscessit a domino et s. suo* (Deut. 32, 15); Mc. II, 19 *iste accipiet misericordiam a deo s. suo* (Ps. 23, 5); aliis autem locis Christus (= σωτήρ in novo test. = *salvator* in Vulg.): R. C. 47 *unde et s. nostrum exspectamus Jesum Christum* (Phil. 3, 20); Pud. 2 *s. omnium hominum et maxime fidelium* (1 Tim. 4, 10; Itcf.: *salutaris*); Mc. V, 15 *in adventu domini et s. nostri* (1 Thess. 5, 23). Ceteri Patres eccl. maluerunt dicere *salvatorem*, quae vox et ipsa in Tert. primi usu est, cf. Mc. III, 18 et Jud. 10 *Christus . . . mansuetus ut s.;* Mc. III, 14 *ut hanc Christi quasi privatam benignitatem rivulum credas de fontibus salvatoris.* — *Sanctificator* autem (*fidei paracletus*) cognominatur Spiritus sanctus Prax. 2 voce et ipsa nova. — Ii autem Christiani, qui fidem quam amplexi sunt Christianam aut professi sunt palam vel in tormentis aut metu minacium ethnicorum perterriti respuerunt, novis vocibus aut *confessores* dicuntur aut *negatores* apud Tert. primum: cf. Cor. 2 *a catechumenis usque ad confessores et martyres et negatores;* Pud. 9 *negatores et omne apostatarum genus;* P. H. 11 *fidem meam deserens negator invenior;* Scorp. 11 *cum in carcere fratrem vult visitari, confessoris imperat curam.* Aliis locis latiore vi hae voces intelligendae sunt, cf. Mc. IV, 38 et R. C. 39: *Sadducaei, resurrectionis negatores*; et Mc. IV, 28 (*si confessorem confitebitur*, sc. Christus, *ipse est qui et negatorem negabit*), et Prax. 26 (*confessurum* sc. Christum *confessores et negaturum negatores suos apud patrem*) *conf.* et *neg.* dicuntur ii, qui Christum ipsum ut suum aut profitentur vel in tormentis palam aut respuunt. — Ii autem Christiani, qui communionis ecclesiasticae participes sunt, *communicatores* (opp. „excommunicati“) dicuntur a Tert. Pud. 22 (*alii ad metalla confugiunt et inde communicatores revertuntur*), quae vocis vis eius solius est. — Apud eundem primum Patrum legis vocem *adoratoris* = προςκυνητοῦ, sc. Dei, cf. Or. 28 *cum veri a. adorabunt patrem in spiritu et veritate* (Joh. 4, 23) . . . *et adoratores itaque tales requirit.* Sp. 8 autem (*si Serapeum . . adorator intravero, a deo excidam*) haec vox ad ethnicos refertur. — Homines, cum Dei leges excedant maleque faciant, *peccatores* in Lat.

interpretatione Tert. (et in Itcf. ac Vulg.) scr. scr. nova voce dici solent (= ἄνομοι, ἀσεβεῖς, ἁμαρτωλοί ap. LXX et ἁμαρτωλοί in novo test.) permultis inde allatis locis, cf. R. C. 9 et Mc. II, 13; IV, 10; et Pud. 2. 10. 18. 22 *malo salutem peccatoris quam mortem* (Ezech. 18, 23); Pud. 7. 9 et Pat. 3 et Mon. 8 *publicani et peccatores* (Mt. 9, 10 et Luc. 15, 2) et permultis aliis locis. Huc suggerenda est vox inde ducta et ipsa quoque nova *peccatricis* in Tert. (et Vulg.) interpretatione scr. scr. et in ipsius usu, cf. Jud. 3 *vae gens p.* (Jes. 1, 4) — R. C. 9 *caro p.*; Pat. 12 *ovis p.* etc. — Eiusdem significationis nova vox *transgressoris* est, cf. Mc. V, 13 et R. C. 39 et Pud. 8. 14 *t. legis* et a. l. — Denique hic subiungenda sunt haec duo vocabula Graecanica a Tert. primo prolata: *baptizator* i. e. qui ritum baptismi administrat = βαπτιστής (in novo test.) = *baptista* (in Itcf. et Vulg.); cf. Bapt. 12 et Jud. 8 *Johannes b.* (Mt. 11, 11 et Luc. 7, 28) — An. 50; et *evangelizator* i. e. qui evangelium in publico praedicat neque idem apostolus est (= εὐαγγελιστής = *evangelista* in Itcf. et Vulg.); cf. Cor. 9 *quis apostolus aut e. aut episcopus invenitur coronatus?;* P. H. 4 *qui pseudapostoli nisi e. adulteri?*; Mc. IV, 4 *Marcion citius anathema dicendus quam e.;* ib. V, 19 *Judaici e.*; Prax. 21 autem et 23 Johannes apostolus *e.* appellatur.

§ 9. Ex forensi dicendi usu hae assumptae sunt voces, quarum principales notiones hunc in modum Tert. deflexit: F. P. 11 *auctores* (cr.) *ecclesiae* dicuntur „*diaconi et presbyteri et episcopi*", quippe qui auctoritate ecclesiae praesint (= ἀρχηγοί = magistri). Et P. H. 37 „*auctores*" rei dicuntur mancipes eius (= κύριοι): „*mea est possessio . . . habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res.* Ap. 19 autem „*auctores sapientiae*" sunt primi philosophi, et ib. 21 *Judaeorum originales auctores* sunt patriarchae eorum. — *Circumscriptor* apud Tert. (convenienter Ciceronis dicendi usui) is est, qui fraudat et decipit, cf. Mc. II, 7 *c. coluber* i. e. diabolus. Sed ipsius solius est haec vis forensis huius vocis Mc. I, 27 *c. sententiae suae* = is qui tollit et quasi abrogat illam. — A Taciti (a. 4, 66) autem usu discrepat usurpans *condemnatorem* pro iudice qui condemnat, Mc. II, 9 *delicti c.* — *Concussor* autem, nove fictum vocabulum, is est, qui ab aliquo iniuste pecuniam extorquet terrore illato vel per calum-

niam, cf. F. P. 12 *Quid enim dicit ille c.? Da mihi pecuniam, certe ne eum tradat;* ib. 13 *c. nostri in amicitiam redacti per mammonam.* — Diverse a Ciceroniano usu *deductor* apud Tert. idem valet quod *dux* (= ὁδηγός) et Spiritus sancti appellatio esse solet (ex Joh. 16, 3: ὁδογήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν); cf. Cor. 4 et F. P. 1. 14 et Prax. 2. 30 *spiritus sanctus, d. omnis veritatis* (= *dux omnis veritatis* Jei. 10). Ap. 21 *d.* dicitur filius dei: *illuminator atque d. generis humani filius dei.* — *Praevaricator*, qua voce a prioribus is causae alicuius patronus vocatur, qui tecte a partibus adversarii stat (cf. Cic. Part. 36: *p. significat eum, qui in contrariis causis quasi varie esse positus videatur*), amplificata vocis vi apud Tert. idem valet ac *fraudator* sive *adulterator**); cf. An. 25 *naturae et artis suae p.*, sc. Hicesius medicus; Mc. I, 27 et IV, 43 *p. veritatis;* ib. I, 22 *benignitatis p.*, et a. l. — *Manumissor* denique i. e. dominus, qui manu mittit servum, translate dicitur Christus (ex Gal. 5, 1), qui *„libertate nos manumisit"* Mc. V, 4.

§ 10. Ex re militari hae sunt petitae voces novaque vi a Tert. prolatae: *Antecessores* apud eum iidem sunt qui *doctores* sive καθηγηταί, opp. *sectatores*, cf. V. V. 2 *Habent et illae* (sc. ecclesiae) *eandem auctoritatem, tempora et a. opponunt magis quam posterae istae.*; F. P. 6 *sicut a. instituerant;* Mc. I, 20 *a. apostoli;* V. V. 1 *paracletus, solus a.;* Mc. V, 3 *antecessores Pauli.* — *Conquisitor* autem contra vulgarem dicendi consuetudinem idem valet quod *philosophus* vel *astrologus*, cf. Id. 9 *Ubi sapiens, ubi litterator, ubi conquisitor* (= συζητής) *huius aevi?* (1 Cor. 1, 20; Vulg.: *inquisitor*). — *Metator* translato sensu legitur Mc. I, 8 *„tempus arbiter et m. initii et finis* = metans et in certas partes distribuens. — *Expugnator* denique idem est ac *debellator* s. *domitor* Mc. IV, 20 *Christus e. spiritalium hostium.*

§ 11. Ad circenses res hae spectant voces: *Designator* (*funerum* Sp. 10) dicitur is, qui funerum pompae et funebribus ludis praeerat (= germ. *Zeremonienmeister*); Val. 3 autem *d.* (*totius conscientiae*) idem est ac *manifestator* vel *resignator.* —

*) quam vocis vim ne Vulgatae quidem incognitam esse 2 Reg. 23, 6; Prov. 13, 2 et alii loci docent.

Desultor autem apud Tert. non propria vocis vi usurpatur, qua idem valet quod germ. *Kunstreiter*, sed translata, qua idem est ac *contemptor*, Mc. V, 16 *fallaciae immissio adversus contemptores et desultores.* Simili translata vi finxit *desultricem* Val. 38 *virtus defectrix et desultrix* (= instabilis = ἀποστᾶσα ap. Iren. I, 5, 2). — *Venatores* denique Mart. 5 (*venatorum taureae*) significatione alias inusitata dicuntur pugnatores in spectaculis venatoriis versantes.

Litterati homines his significantur novo modo appellationibus: *Commentator* apud Tert. non is est, qui commentatur et excogitat aliquid, sed qui concribit et edit librum aliquem, cf. C. C. 22 *Matthaeus, fidelissimus evangelii c.;* R. C. 33 *parabola . . . a commentatore evangelii* (sc. Luca) *praeluminata;* Mc. IV, 2 *ex his* (sc. quatuor) *commentatoribus quos habemus Lucam videtur Marcion elegisse, quem caederet;* Val. 34 *Fenestella annalium c.;* Ap. 10; An. 46. — Similem vim narratoris habet apud Tert. primum voc. *relatoris* An. 46 *cetera cum suis originibus et ritibus et relatoribus* (cr.) . . . *Hermippus . . satiatissime exhibebit.* — *Litterator* autem praeter vulgarem vocis usum Id. 9 adhibetur vertendae Graecae voci γραμματέως (in novo test. 1 Cor. 1, 20): „*Ubi sapiens, ubi l., ubi conquisitor huius aevi?* Vulg.: *scriba*). —

§ 12. Agmen claudant aliquot huius terminationis voces varii significatus, quarum notiones aliis usitatae a Tert. immutatae inveniuntur: *Actor* = administrator omnium domesticarum rerum absente domino, Mc. IV, 29 *proponit* (sc. Jesus) *actorum similitudinem* (Luc. 12, 42 = **οἰκονόμος**; Vulg. *dispensator*), cuius munus ib. 33 *actus* dicitur. — *Advocator* (*mendicorum*) Mc. IV, 15 ex notione verbi advocandi Tertulliani (in interpretatione scr. scr. et Iren. intpr. et Vulg.) propria (qua respondet Graeco verbo παρακαλεῖν ap. LXX = *consolari*) *consolator* dicitur. — *Aemulator* (*Deus dominus tuus in te* = ζηλωτής Deut. 6, 15) Scorp. 2 = *zelotypus* i. e. socii et aemuli impatiens et ultor perfidiae strenuus Deus dicitur, qui idem aliis locis (Pud. 2; Mc. I, 28; IV, 25 etc.) *zelotes* appellatur. Eadem autem appellatio diaboli est Sp. 2 *illa vis aemulatoris angeli* = aemuli sc. dei. — *Assentator* apud Tert. non est idem qui *adulator*, ut apud ceteros, sed idem valet quod *assensor* Herm. 10 *non auctor sed assentator mali invenitur deus,*

i. e. qui assentitur malo, cum fieri sinit. — *Acceptor* (*omnium bonorum deus*) Pat. 4 = *approbator.* — *Conservatores* dicuntur Nat. I, 7 (*vitam aeternam sectatoribus et conservatoribus suis spondet*) observatores, quae praepositionum in compositis vocabulis immutatio Tertulliano frequentior est, cf. *retractator officii* Jei. 15 = *detrectator.* — *Exactor* ex principali vi verbi exigendi apud Tert. is est, qui exigit i. e. expostulat et flagitat aliquid ab aliquo, cf. Sp. 2 *deus e. innocentiae;* C. F. II, 4 *omnis maritus castitatis e. est;* Ap. 36 *deus e. benignitatis;* at ib. 40 *deus e. nocentiae* = qui supplicium sumit de noc. — *Praesumtor* amplificata vi apud Tert. is dicitur, qui nimia sui fiducia usus nimium et immoderatum sperat (= germ. ein *Vermessener*), cf. Paen. 6 *At ille p., cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit;* T. A. 4 *cuius* (sc. resurrectionis) *nos praesumptores denotamur;* quam vocis vim insequentes scriptores exhibuerunt. — *Proditor* Id. 9 (*angeli, dei desertores, etiam huius curiositatis proditores*) is dicitur, qui prodidit i. e. edidit atque evulgavit aliquid. — *Professores* vi vocis item amplificata omnes ii apud Tert. sunt, qui profitentur palam id, quod amplexi sunt = sectatores, cf. C. F. II, 3 *p. humilitatis;* Mc. V, 1 *nemo sibi et p. et testis est;* R. C. 39 *p. fidei;* An. 25 *p. veritatis*; Mc. IV, 12 *novi dei p.*, sc. Christus. — *Somniator* Scorp. 2 (*ne audiatis sermonem somniatoris illius ... s. ille morietur* Deut. 15, 3. 5 = *ὁ τὸ ἐνύπνιον ἐνυπνιαζόμενος*) dicitur (etiam in Vulg.) somniorum interpres. — Denique *speculator* (*alieni* = *ἀλλοτριοεπίσκοπος* 1 Petr. 4, 15; Vulg.: *alienorum appetitor*) dicitur Scorp. 12 homo alieni appetens, cuius generis reos apostolus vetat in Christianis inveniri.

§ 13. His optime adiunguntur vocabula cognata eademque mobilia in trix desinentia, quorum et ipsorum magnus apud Tert. proventus est quaeque aut solus aut primus protulisse invenitur. Hae quoque voces cum efficacissime naturam vel hominum vel rerum propriam eosque insignientem exprimant et temporis non solum praesentis sed etiam peracti respectum admittant, effectrices sunt cum breviloquentiae et gravitatis tum poëtici coloris orationis Tert., id quod haec pauca exempla doceant: Mc. IV, 36 *disciplina orandi* (a Christo constituta) dicitur *reprobatrix superbiae sive iustificatrix humilitatis;* An. 42 *mors* dicitur *corporis dissolutrix.* Peracti temporis ratio habe-

tur in his: Ap. 25 *Graecia Phrygiae debellatrix;* Mc. I, 29 *duritia Pharaonis nascentium enecatrix;* ib. II, 14 *Aegyptus populi hospitis conflictatrix;* C. F. I, 1 mulieres increpantur omnes his verbis: „*Et Evam te esse nescis?.. Tu es* (sc. in Evae matricis reatu) *ianua diaboli, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinae legis prima desertrix*"*!* etc.

Ea voc. huius terminationis, quae iam congessimus, apud solum Tert. leguntur et (praeter tria) omnia ei *ἅπαξ εἰρημένα* sunt (31):

Affectatrix (*veritatis humana sapientia* = quae affectat infeliciterque aemulatur alqd.) P. H. 7; *animatrix* (*confessionis dilectio* = quae animos dat ad alqd.) Scorp. 12; *arbitratrix* (*operum Domini iustitia eius* = moderatrix) Mc. II, 12; *argumentatrix* (*ignorantia humana* = quae argumentis utitur) Sp. 2; *avocatrix* (*omnis veritatis vis*, sc. diaboli = quae avocat, sc. a recta fide) An. 1; *cessatrix* (*bonitas*) Mc. I, 24; *confirmatrix* (*disciplinarum consuetudo*) Cor. 4; *conflictatrix* (*Aegyptus hospitis populi* = quae conflictavit et vexavit) Mc. II, 14; *consecratrix* (*bovis Aegyptus* = quae bovem deum facit) Scorp. 3; *defectrix* (*virtus* = *ὑστερήσασα δύναμις* Iren. I, 5, 2) Val. 38; *defraudatrix* (*sacrificiorum domus* sc. Heli iudicis illius Israëlitici) Jei. 16; *despectrix* (*mundi virtus*) An. 23; *Judaea d. divinitatum*, ibid. 26; *desultrix* (*virtus* = *ἀποστᾶσα δύναμις* Iren. I, 5, 2 = quae desilit = instabilis) Val. 38; *dissolutrix* (*corporis mors*) An. 42; *divinatrix* (*anima*) An. 42; ib. 46 (*-trices artes*); *enecatrix* (*nascentium duritia Pharaonis*) Mc. I, 29; *exspectatrix* (*vindictae patientia*) Mc IV, 16; *fraudatrix* (sc. rerum natura) R. C. 12; *frictrix* = *τριβάς* Pall. 4; R. C. 16; *fugatrix* (*timoris dilectio*) Scorp. 12; *iustificatrix* (*humilitatis disciplina* = quae iustum facit) Mc. IV, 36; *modulatrix* (*-trices aquae* = quae modum et rationem praebent) Bapt. 3; *observatrix* (*fides*) Cor. 4; *obumbratrix* (*-trices templi arbores*) Ap. 9; *pollicitatrix* (*pluviarum virgo Caelestis*) Ap. 23; *postulatrix* (*-trices* (cr.) *sollemnitates*) Cor. 13; *purgatrix* (*-trices aquae*) Bapt. 5; *reliquatrix**) (*delictorum*

*) huius voc. verbum nativum (*reliquari* = germ. *restiren*) in usu praecipuo JCorum. est.

anima = quae integrum debitum non solvit) An. 35; *reprobatrix* (*superbiae disciplina*) Mc. IV, 36; *resignatrix* (*arboris illius,* Eva = quae resignavit et aperuit) C. F. I, 1; *seductrix* (*Adae* Eva = quae induxit illum ad delictum) Mc. II, 2.

§. 14. Jam recensus fiat eorum (17), quae Tert. primus protulisse invenitur: *Actrix* (*-trices* (*cr.*) *scelerum aut libidinum tragoediae et comoediae* = quae agunt et operantur aliqd.) Sp. 17 — Cod., Inscr.; *adulatrix* (*reliquiis animae pietas*) An. 51 — Trebell.; *auctrix* (apud Tert. = quae causa et principium alcs. rei est) Herm. 5 (*materia a. universitatis*); An. 57 (*a. istarum opinionum magica*); Mc. V, 10 (*anima a. operum carnis*); Cor. 4; Mc. II, 12; Herm. 6. 7 — Cod.; *aversatrix* (*crudelitatis, pietas* = quae aversatur oditque aliquid.) An. 51 — Vulg.; *debellatrix* Ap. 25 (*Phrygiae Graecia*); Mc. III, 13 et Jud. 9 (*Babylon sanctorum Dei d.*) — Lact.; *debitrix* An. 35 (*omnium delictorum anima d.*); Scorp. 8 (*fides martyrii d.*) — Dig., Hier.; *formatrix* (*tantae civitatis, Dido*) Mon. 16 — Claudian. (Mamert.); *initiatrix* (*litteraturae, poësis*) Nat. II, 7 — Salvian.; *interemtrix* (*-trices pudoris sui,* sc. *prostibula*) Sp. 17 — Lact.; *interpolatrix* (*veritatis sapientia humana* = quae corrumpit) P. H. 7 — Nazar.; *negatrix* (*-trices litterae*) Id. 23 — Prud.; *negotiatrix* (*apparituri boni bonitas* = conciliatrix) Mc. II, 3 — Dig., Inscr.; *operatrix* An. 52 (*mortis o. ratio*); ibid. 11 (*Sancti Spiritus vis o. prophetiae*) — Ambr.; *perditrix* (*castitatis luxuria*) E. C. 13 — Hier.; *peccatrix* Sp. 3 (*p. gens*); Pud. 11 (*p. femina*); C. C. 8 (*p. caro Christi*); ib. 16 (*v. natura Christi*); Jei. 7; An. 40 etc. — Paul. Nol., Prud., Vulg.; *peremptrix* (*sensus mors*) An. 42 — Aug.; *praedicatrix* (*summarum potestatum species*) An. 46 — Maxim. Taur., Praedestinat.

Horum nominum plurimorum formae masculinae in **tor** terminatae a Tert. primo prolatae sunt; omnino autem non exstant in his: *aversatrix*, *conflictatrix*, *enecatrix*, *obumbratrix*, *resignatrix*. Aliorum masculinae formae non inveniuntur in usu nisi ultimae latinitatis: *arbitrator* (P. Vict., Inscr.), *divinator* (Firmic. [Math.]), *exspectator* (Paul. Nol.), *fugator* (Tert. in carm.), *iustificator* (Aug.), *reprobator* (Aug.?), *seductor*

(Aug., Vulg.), et ICorum.: *defraudator*, *dissolutor*, *reliquator* (Gai., Dig., Cod.).

§ 15. Ad novae Christianae fidei notiones non spectant ex his voc. verbalibus nisi haec duo: *iustificatrix* (*disciplina humilitatis*) Mc. IV, 36, quo significatur placita Deo illa publicani oratio (Luc. 18), *et peccatrix* (*caro* C. C. 8; *anima* An. 40 etc.), quibus ambobus vocabulis et fidei et hominum natura ratioque perbene denotatur a Tert. primo. — *Matrix* autem, vox primi Varronis (r. r.) tum Colum., apud quos *m.* dicitur femina brutorum, apud. Tert. translata vi legitur pro *origine* vel *fonte primo*, cf. V. V. 5 *Eva, m. generis feminini; Herm. 16 materia etiam boni m.;* Pat. 5 *impatientia m. in omne delictum;* P. H. 21 *ecclesiae apostolicae, matrices et originales fidei;* Jud. 2 *primordialis lex data Adae et Evae in paradiso, quasi m. omnium praeceptorum Dei;* uno autem loco, F. P. 12 (*matrices beneficiariorum*) voci *matricis* notio ceteroquin inusitata *albi* seu *catalogi* hominum quorundam est (unde nomen ductum est ultimae latinitati usitatum *matriculae* (germ. *Matrikel*).

Inde has voces Italae linguae originem duxisse per se intelligitur: *adulatrice, animatrice, argomentatrice, attrice, debellatrice, debitrice, frodatrice* (= *fraudatrix*), *osservatrice* (= *observatrix*), *peccatrice, riprovatrice* (= *reprobatrix*), *seduttrice* (= *seductrix*).

Summam igitur harum novarum vocum in trix desinentium si facimus, 48 invenimus, e quibus 31 (= 65%) solus, 17 (= 35%) primus Tert. protulit. Hoc quoque in genere ille insequentes Patres eccl. imitatores habuit studiosos, sicuti ipse secutus est scriptores argenteae latinitatis (hac in re exinde a Livio) praecursores.

Huc usque hac commentatione particulam quidem latinitatis principis illius ecclesiasticorum scriptorum Latinorum persecuti sumus, in quem verba illa quadrare mihi videntur, quae apud S. Augustinum (De Civ. Dei VI, 2) de M. Varrone illo legimus: „*Qui tametsi minus est suavis eloquio, doctrina tamen atque sententiis ita refertus est, ut in omni eruditione* (*quam nos*

saecularem, illi autem liberalem vocant) studiosum rerum tantum iste doceat, quantum studiosum verborum Cicero delectat." Hac in commentatione nos aliam quandam rationem consiliumque secutos esse atque Hauschild ea disputatione subtili et exquisita, quam nuper de simili materia edidit *), haud quemquam utramque commentationem legentem fugiet.

Hac ut ita dicam „materiola" pertractata restat, ut copiae verborum Tert. illustrandae causa cetera eorum genera digerantur atque explicentur, quam ad rem largam iamiam atque operosam materiam congessimus, quam proferre tempore futuro nobis est in animo,

„si res et aetas et sororum
fila trium patientur atra."

---

*) *Ueber die Grundsätze und Mittel der Wortbildung bei Tert.* Leipz. 1876.



